

*Anna*

*26*

*Journal*

*leustre*

*1*

istis eodem fere sæculo accedit Nestorius, unam Christi personam in duas dividere præsumens. Hunc proxime sequuntur Eutyches, & Dioscorus, qui Carybdim vitare putantes, in scyllam inciderunt, duas Christi naturas in unam tantum veras esse dicentes, ut vel sic unam contra Nestorium personam tuerentur. Istis omnibus jam senescentibus, & in interitum vergentibus hæresibus, quæ per aliquot jam sæcula vixerant: Ecce Macharius quidam Antiochenus Episcopus oritur, unam tantum affirmans in Christo voluntatem. Hac ex orbe deleta hæresi, ne non verum dixisse putetur Paulus, quum hæreses futuras esse prædixit, aliæ mox per sua tempora vicissim successerunt, quæ diversis ducibus, variisque argumentorum machinamentis semper Ecclesiam vexaverunt. Quas quia intra angustum unius epistolæ albeum non possum omnes corrivare, silentio eas nunc prætereundas censui, latiore campum illis postea daturus. Sed ut semel coeptum prosequar institutum, opus est, ut ad sæculum hoc nostrum, in quod fines sæculorum devenerunt, nostra percurrat oratio, ut vel inde te ipsa omnes sibi persuadere possint verum esse id quod supra dixeram, nullum fuisse sæculum à Christi servatoris nostri in cœlos Ascensione, in quo aliqua non fuerint novæ ortæ hæreses, aut veteres renovatæ. Nam hoc nostro miserabili sæculo tot tamquam pestilentes natæ sunt hæreses, quæ tantum negotii viris doctis, atque adeo toti Ecclesiæ hucusque fecerunt, ut vix tot retroactis sæculis tam multos, aut tam truculentos Ecclesia unquam perpessa fuerit hostes. Sub Leonis decimi tempora, quum respirationem aliquam ab hæreticorum infestationibus Ecclesiæ datam esse arbitrabantur omnes, ne hæreses, quæ in aliis multo felicitioribus sæculis inundaverant, huic nostro sæculo tot vitis pleno non deessent, ecce repente atque insperato Lutherus velut Cerberus ex orto prodit omnem fere post se rrahens damnatarum hæresum catervam. Nam multiforme hoc monstrum, & (ut ita dicam) fabulosa illius multiplicis hydra serpentina formam in se uno exprimens, quidquid ferme horrendum est ac perniciosum, turpe, execrandum, abominabile, atque incredibile, id à singulis hæreticis accepit, & seipsum in eos omnes transformavit. Si Poetarum more ludere Christiano viro liceret, quemadmodum illi Pythagoræ animam in euphorbum translata esse sinxerunt, ita & nos multorum, ne dicam omnium hæreticorum animas in unum Lutherum transfusas esse diceremus. Nam in votorum libera, quam docet, violatione, Turrelapinum se fecit. Sacerdotes omnes Episcopis æquans, in Aerium se transformavit juniorum virtutem, & meritum profusum extenuans Joviniani mentem induisse videtur. Begardorum, atque Beguinarum insanum suscepit spiritum, quando superioribus suis obedientiam negandam esse doceret. Quando vero Sanctos non esse orandos contendit, Eustachium in Concilio Gangrensi damnatum, & Vigilantium à Beato Hieronymo acriter reprehensum, imitatur. Ut non solum vivis, sed etiam defunctis, tortuosus hic serpens potentissimè incommodaret, suffragia defunctis nihil prodesse asserit. Quam in re multorum hæreticorum Valdensium videlicet, & Albigenium, & Armenorum figuram suscepit. Excommunicationes Ecclesiæ contemnens, & omnes Ecclesiæ ceremonias subsannans, Valdensium, Vvicelitam, atque Husitam se esse aperte demonstrat. Quum operibus detrahit, ut fidem extollat, in Eunomium se transformavit. Quando mendicitatem libere pro Christo susceptam irritat, Desyderii Longobardi, & Guillelmi de Sancto Amore, spiritu impio ductus apparet. Quando Petri, & successorum ejus primatum tam hostiliter insequitur, in Marfilium Paduanum, aut in Joannem Vviclef, se ipsum transfiguravit. Rara denique est veterum hæreticorum familia, cum qua non habeat aliquid commune Lutherus, præsertim ex his quæ de moribus differunt. Nec solus Lutherus hoc sæculo prodiit, tanta est hujus sæculi infœlicitas, sed multorum hæreticorum agmine, ceu quodam Sacerdotio stipatus processit, qui illum tamquam ducem primo egredientem expectasse videntur, & illum deinceps sequerentur. Illi enim statim adhæserunt Philippus Melancton, Conradus, Pellicanus, Lambertus, Fabritius Capito, Osiander, Sturnius, Martinus Butzerus, multique alii temporis successu catervatim se illius familiæ inferuerunt. Proderunt etiam alii, qui etsi multis Lutheri hæresibus subscripserunt, sub illius tamen vexillo militare dignati, novas quasdam confinxerunt hæreses, de quibus inter eorum quemque, & Lutherum minime conveniret, ut vel hoc nomine eorum quilibet propriam instrueret aciem, cujus ipse dux haberetur. Fuit enim semper, atque est omnibus ferme hæreticis insita quædam popularis gloriæ cupiditas, quæ nimium eos sollicitat, novam aliquam configere doctrinam, ut rei novitate alios in sui admirationem trahant. Carolostadius à Luthero dividitur, Zuinglius ab utroque separatur. Oecolampadius his omnibus contradicit. Anabaptistæ denique omnium pestilentissimi cæteris omnibus adversantur. Tot certe atque tanta hoc nostro sæculo nata sunt hæreticorum monstra, ut novo quodam hercule monstrorum domitore esset nunc opus, qui illas omnes ex orbe prostraret. Quorum omnium hæreticorum sibilis serpentinis, quæ totius Ecclesiæ divinis vocibus magna Germaniæ pars obedire malens, in varias hæreticorum factiones divisa est. Et utinam pestis hæc intra solos Germaniæ fines se contineret, & non in reliquis Christiani orbis partes tam sæve atque potenter grassaretur, ut jam rara sit Christiani nominis provincia, in qua aliqui non sint, qui publice aut lateant Lutheri nomina dederint, & in illius verba juraverint. Verum in hoc calamitoso, atque adeo miserando sæculo, Deo ita disponente, qui Ecclesiæ suæ immodicam curam semper habet, non desuere viri bellatores strenui, dexterrimique milites, qui pro fide Catholica viriliter pugnarent, & se opponerent

rent pro muro domus Israel. Non enim patitur Deus Ecclesiam suam tentari supra illius potentiam, sed facit cum tentatione proventum, bonos constantesque viros, quos ante illa non habebat, illi reddens, & quos in latebris reclusos tenebat, in publicum prodire cogens, ut vel sic Ecclesiam suam, quæ est velut quædam castrorum acies ordinata, hostibus terribilem, & formidabilem faciat. Nam, teste Paulo, ob hanc causam Deus hæreses esse permittit, ut fideles suos probet, mundoque faciat manifestos. *Operteret*, inquit ille, *hæreses esse, ut qui probati sunt manifesti fiant*. In tanta igitur hæresum inundatione, duplici ex causa mihi necessarium fore censui, ut aliquid in communem utilitatem aderem, quod ceu antidotum quoddam, tam late grassanti morbo aliqua ex parte posset occurrere. Primo quidem ut talentum mihi creditum, Deo à quo acceperam cum usuris redderem. Deinde ut fidem meam hominibus qui solum ea quæ foris patent, intuentur, manifesto aliquo testimonio probatam facerem. Ob has causas ante undecim jam elapsos annos, anno videlicet tricesimo quarto supra millesimum quingentesimum opus quoddam ædidi quatuordecim libris partitum, in quo omnium hæresum quæ post Christi in cœlos ascensionem, in Ecclesia fuerant ortæ, certissimam primo rationem reddere curavi, mox contra illas omnes singulati quoddam, minimeque omnium iudicio, infœlicè terminare pugnavi, ut vel hac via omnes istos recentes hæreticos, à seculis jam olim ab Ecclesia rejectis, suas hæreses bibisse, apertissime demonstrarem, & sic illis fidem detrahendam esse convincerem. Quod opus, illi Deo favente, causamque (ut christiane loquar) suam agente, adeo catholicorum omnium oculis placuit, ut infra septennium fuerit jam quater typis excussum, ter Parisiis, semel Colonia. Quæ res animum meum vehementer stimulavit, ad opus hoc iterum diligentissime revisendum, ut si quid forte deesse conspicerem, addendum curarem. Fateor quidem, nec volo hac in re culpam meam deprecari, qui in plures annos opus hoc premere debuissim, & terque quaterque recognoscere, antequam illud in publicum prodire permitterem. Sed utcumque hanc tam celerem operis ædicionem excusat, quia amicorum precibus compulsus, qui me quotidie sollicitabant, atque ad ædendum impellebant, abortire coactus sum. Relegi opus semel, & iterum, & meo ipsius periculo didici secundas curas semper esse meliores, tertiasque meliores secundis. Nam aliquot hæreses deesse comperi, quarum aliquæ sciens omiseram, proptereaque de illarum erroribus non mihi plene constabat: & nolui in re tam seria temere quidquid definire. Aliæ autem multæ hæreses, aliud mihi agenti, quum plurimos evolverem auctores, quos intensis semper in hanc rem oculis lego, occurrerunt. Deinde circa priores illas hæreses, quæ in prima ædicione habebantur, multa quæ ad ipsarum hæresum pleniorum cognitionem, aut faciliorem expugnationem mihi visa sunt necessaria, addidi, alia inverti, alia quamvis paucissima prorsus delevi, ut meliora tot illis substituerem. Tot igitur ac tanta post primam illam Parisiensem, & alteram Coloniensem ædicionem, addita, & inversa atque permutata sunt, ut novum jam opus merito censeri debeat, quod novum iuste desideret patronum, præsertim cum prior ille, cui primo opus hoc olim nuncupaveram, extremum jam egerit diem. Nam cum primo illud ædidi, Illustrissimo Domino Joanni Taveræ, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali, & Archiepiscopo Toletano illud dicavi. Si quis igitur mihi exprobrare voluerit, quia unica filia duos assequi generos velim, opprobrium hoc duplici nomine facillime rejicere valeo. Primo quidem unicam tantum esse negabo, sed hanc alteram esse illius germanam contendam. Deinde si quis forte eamdem unicam esse evicerit, viduam tamen illam esse, non poterit inficiari. Nihil igitur obstat, ut dote aucta præsertim cum illa absque liberis, & absque ullo manserit fœtu, alteri atque adeo nobili tradatur marito. Quem cum summo studio, summaque diligentia intra me ipsum cogitabundus investigassem, nullus alius præter te, Illustrissime Princeps, mihi unquam occurrere potuit, cui tanto cum honore illam donare potuissim, qui omni virtutis splendore ornatus, nemini hujus temporis Episcopo secundus haberi: sunt enim in te vitæ probitas, morum integritas, rerum gerendarum prudentia, cum sanguinis nobilitate, quæ in te est clarissima, tam dubio certamine contendentes, ut quæ cui præferatur, non facile quis discernere possit. Tanta est generosi sanguinis tui claritas, ut sive paternum, sive maternum tuum genus exactissime quis perscrutari, & antiquissimas illius origines repetere velit, comperiat certo nullum esse in Hispania, aut antiquitate vetustius, aut divitiis opulentius, aut claris facinoribus illustrius, nam Paccetorum familiam, à qua paterno sanguine ducis originem, vetustissimam apud Hispanos esse, facile intelligit, qui Cæsaris Commentarios legerit, in quibus ille (si me non fallit memoria) cum de rebus in Hispania gestis differit, ejuisdam Pacceti viri tunc nobilis, atque bellatoris strenui apud Lusitanos meminuit. Domus autem de Guevara cui materni sanguinis causa insertus es, tanta pollet sanguinis nobilitate, tam longoque sanguine censetur, ut non solum Regiæ antiquitati se æquandam putet, sed ipsi etiam Hispaniarum Regibus aliqui Historiographi non vereantur dicere vetustiorum. De tuorum autem morum integritate rerumque gerendarum prudentia, non est mihi nunc mens disserere, ne rem per se clarissimam, aut obscuram, aut suspectam reddam. Præsertimque Christianissimus atque adeo invictissimus Cæsar Hispaniarumque Rex, tam integrum tuarum virtutum dedit testimonium, ut omnium fere senatum quos ille plurimos ad suorum Regnorum administrationem iuste exercendam habet, te olim Visitatorum instituerit, ut si forte aliqua ex parte apud illos iustitiæ deliraret amissis, tua bonitate,

**OPERA**  
**ALFONSI A CASTRO**  
**ZAMORENSIS,**  
**ORDINIS MINORUM,**  
**REGULARIS OBSERVANTIÆ,**  
**PROVINTIÆ SANCTI JACOBI.**

VIDELICET

*Adversus omnes hæreses, Lib. quatuordecim.*  
*De justa punitione hæreticorum, Lib. tres.*  
*De potestate legis penalis, Lib. duo.*

*Agrippine*

46579

Super Psalmum *Miserere mei Deus*

HOMILIÆ VIGINTIQUINQUE AD POPULUM SALMANTICENSEM HABITÆ.

Super Psalmum *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*

VIGINTIQUATUOR AD EUMDEM POPULUM.

Omnia ab Auctore jam postremo magna diligentia recognita, ac pluribus locis illustrata, ut merito novum opus censi videantur.

*Cum triplici atque locupletissimo Indice in lucem edita.*

**TOMUS PRIMUS.**



**SUPERIORUM PERMISSU.**

MATRITI:

EX TYPOGRAPHIA BLASII ROMAN.

Anno M.DCC.LXXIII.



OPERA  
ALFONSI A CASTRO  
ZAMORENSIS  
ORDINIS MINORUM  
REGULARIS OBSERVANTIAE  
PROVINTIAE SANCTI IACOBI  
VIDELICET

Adversus omnes haereses, Lib. quatuordecim.  
De iuraquisitione haereticorum, Lib. tres.  
De potestate legis penalis, Lib. duos.  
Super Psalmum Misere mei Deus

HOMINUM VIGINTIQUINGUE AD POPULUM SALAMANICENSIS HABITA.  
Super psalmum Benedicti quorum virtutes sunt impunitas  
VIGINTIQUATOR AD HUNDREDUM POPULUM  
Omnia ab Auctore iam posuerunt magna diligentia recondita, ac pluribus locis  
illustrata, ne merito novum opus censeatur videri.  
Cum scriptis alijsque scriptis in locum editis.

TOMUS PRIMUS



EX TYPOGRAFIA PRESSI ROMANA  
MDCCLXXIII

ILLUSTRISSIMO ATQUE REVERENDISSIMO  
DOMINO DOMINO PETRO PACCECO,  
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI,  
ET EPISCOPO GIENNENSI,  
F. ALFONSUS A CASTRO,  
ZAMORENSIS, ORDINIS MINORUM.

S. P. D.

**P**AULUS ille vas electionis, Illustrissime Princeps, qui ad tertium usque coelum raptus vidit arcana Dei, spiritu quodam prophetico afflatus, quo multa quae futuris temporibus ventura mala praevidit, haereses etiam quae reliqua omnia mala multis parasangis antecedunt, futuras esse praedixit. *Oportet* (inquit ille) *haereses esse*. Quam quidem praedictionem veram fuisse, adeo re ipsa comprobatum est, ut nullum fuerit, prohi dolor! a Christi Salvatoris nostri in caelos ascensione saeculum ad hunc usque diem, in quo aliqua non fuerint novae ortae haereses, aut veteres revocatae. Nam primo illo florentissimo, atque auro saeculo, quo certissimam quisque facile poterat fidei tenere doctrinam, quippe quam ab ipsis Apostolis vitam, & doctrinam Christi Salvatoris nostri testibus oculatis, plene discere poterat, non defuere haeretici, qui novis doctrinis varisque haeresibus populo imponere conarentur. Tunc enim Simon ille Magus, cujus in Actis Apostolicis meminit Lucas, novam atque pestilentissimam tentavit inducere haerese, quae ab illo, velut filia quaedam a parente nomen deducens, utinam non apud tam multos in hunc usque diem perseveraret. Sunt enim haereses aliquor, quae, quoniam a vitis illis ad quae genus humanum est ex se proclive, suam trahunt originem, nullo unquam aevi senio intereunt, aut oblivione sepeluntur, quemadmodum nec ipsa vitia, quae illas semper sunt generare parata. Successit deinde Menander, qui veluti ovo progenitus eodem, familia Simoni docuit, adeo infansens, ut seipsum virtutem ex supernis a Deo missam, non fuerit veritatis dicere. Tunc Hymenaeus, & Philetus, teste Paulo, resurrectionem mortuorum jam factam esse docebant. Tunc Ebion caremoniarum veteris legis acerimus propugnator, umbram corporis, figuram veritati adjungere conabatur. Tunc Cerinthus ille cujus conversationem Joannes Evangelista adeo exhorruit, ut sub eodem quo ille tecto, vel ad brevissimum tempus persistere non auderet, carnis delicias in regno Dei futuras assererat, & judaico populo persuadere contendebat. Altero mox saeculo, quum Ecclesia genas suas plurimorum sanguine martyrum adhuc ornatas haberet, multae atque turpissimae ortae sunt haereses, quae Ecclesiae venustatem eximiamque illius pulchritudinem, nisi sponus Christus illam servasset, quodammodo obfuscare, atque denigrare potuissent. Valentinus tunc magis Hesiodi fabulas, quam Apostolorum doctrinam sequutus, nova quaedam, atque inaudita imaginatur rerum principia, triginta caelos, trigintaque asserens saecula, quae a triginta, quos ille fabulatur, Diis prodire docet. Turpissimas quasque atque nefandas libidinis soboles Basilides tunc obnixè commendat. Tunc Martion ponticus pugnantem inter se Deos somniavit, quorum unum vetus, alterum novum condidisse testamentum dicebat. Tatianus hujus vestigia sequitur, & ut aliquid novum propter magistrum, quo clarior haberetur, confingeret, salutem primi hominis detraxit, illum proferus damnatum, & minime per Christum assertum esse docens. Saeculo isto jam prope finem vergente, Manes quidam Persa, juxta nomen suum infansens, tam horrendas non sine magno totius Christiani orbis incommodo, huic mundo ex inferno invexit haereses, ut sanctissima quaeque prophanare, & obscenissimas atque execrandas hominum turpitudines sacratissimis altaribus mysteriis miscere docuerit. Deinde aliud succedit saeculum, in quo, pace data Ecclesiae, quoniam jam colla Principum se Christo per Constantinum subdere coeperunt, meliora sperabamus. Sed ecce tunc Arrii scintilla prodit, ex qua (ut Hieronymus ait) quia non statim repressa est, incendium adeo magnum, & potens ortum est, ut Orientis, & Occidentis Ecclesias gravissimis odiis, & velut intestino quodam, & civili bello alternante, Principum favore (ut moris est) multis saeculis affligerit. Ab isto Arrio tamquam ex colubro quodam alia prodire genimina adeo venenosa, ut merito de illo, Esaiam Prophetam dixisse putemus. *De radice colubri egreditur regulus*. Aeriis siquidem, & Aetius, Eunomius, Macedoniusque ab Arrio suorum errorum occasionem sumentes, pejora quam ille docere tentarunt, non solum in Christum, sed etiam in Spiritum Sanctum impiissimas blasphemias evomentes. Eodem saeculo Pelagius Britto gratiae divinae se apertum hostem ostendit, dicens in hominis potestate, & arbitrio situm esse a peccatis omnibus cavere, & meritis suis gratiae divinae auxilio procul semoto, salutem assequi sempiternam. Post istos

ALMOS  
de Castro  
OPERA  
.1.

BT1313  
.C37  
1773  
v.1  
c.1

tate, & prudentia corrigeretur. Deinde ad hoc œcumenicum Tridentinum Concilium; etsi multos  
Cæsar ex ditione sua vocavit Episcopos, te tamen propter zelum, quem ad Ecclesiæ reformationem  
in te cognovit ardentissimum, omnium Corypheum, vel (ut rectius loquar) antesignanum huc direxit,  
quem ceteri sequerentur. Demum obvia numeras, atque egregias animi tui dotes, ipso Cæsare peten-  
te, Paulus tertius, qui nunc totius Ecclesiasticæ Navis clavum, adque moderationem tener, ad Cardi-  
natus apicem te ascivit, splendorem non parvum tuo nomine tanto Collegio additurus. Vale, Illus-  
trissime Princeps, & meum hoc studium, & officium erga te demum agnosce. Datis Tridenti ultima No-  
vembris anno Domini M. D. XLV.



## DE VITA, SCRIPTIS, ET REBUS GESTIS ALFONSI A Castro ad Lectorem

### P R A E F A T I O.

**N**ATUS est Alfonso Zamoræ in Hispania: quam urbem suam ipse *natale solum* vocat (a). Quo autem anno  
in lucem editus sit, ex ejus epitaphio eruitur (b). Ibi enim eum obiisse scribitur anno MDLVIII. ætatis  
LXIII. Natus proinde anno Bræ Christianæ MDXCV. Incertum Zamoræ, an Salmanticæ: prima studiorum curri-  
cula confecerit. Habitum vero S. Francisci induit in Conventu Salmanticensi Provinciae D. Jacobi, quod ipse  
differre testatur (c). Exploratus quoque habetur annus, quo Religionis nomen dedit. Eodem siquidem epitaphio  
scribitur, eum *sub instituto Sancti Francisci vixisse annis XLVIII.* Religionem proinde ingressus est anno MDX:  
ætatis XV. Consonum profecto est quod ipse alibi scripsit (d). Compluti Theologicis disciplinis operam dedit cen-  
discipulum nactus Martinum Azpilicuetam Navarrum: quod celeberrimus hic Jurisconsultus (in cap. int. alia 1.  
q. 3. prælod. 2.) non sine Alfonso laude posteris testatum voluit.

Prophanis sacrisque literis sedulo incumbens, eloquentiæ laude cum primis excelluit. *Arsidua S. Evange-  
lii per annos XLIII. prædicatione ingenii, pietatis, eruditionis gloriam adeptum esse, epitaphii auctor literis consigna-  
vit.* Concionatoris ergo munus iniiit anno MDXV., ætatis XX., Religionis V. Qua vero dignitate, atque ani-  
marum profectu Evangelicæ prædicationis munus obierit, testis est locupletissimus & plane idoneus Gregorius  
Gallus Theologiæ Doctor, & sacrarum litterarum in Salmanticensi Academia interpres (e). Testis insuper ocularis  
& Alfonso cœvus, Andreas Rosende Lusitanorum eruditissimus. Is enim Salmanticæ humanioribus litem-  
ris, & Theologiæ incumbens, Alfonso concionantem se audisse testatur. *Erat autem, inquit, multitudini gratus,  
& quem ego post Laodicensis Episcopi tubam illam sonoram mihi imitandum proposueram* (f). Quam eximii Oratoris  
laudem posteritati exterique Nationibus Alfonso testatam reliquit. Hinc Dupinus, & reliqui fere omnes uno ore  
affirmant, eum celeberrimis Hispaniæ Concionatoribus jure accensendum (g). Alfonso *Brugas Flandrorum urbem  
honorifice evocatum, ut de rebus sacris à suggestu diceret*, ex Joanne Valæo scribit Nicolaus Antonius (h). Porro *se  
Brugis per aliquot annos moram traxisse* Alfonso ipse non uno in loco literis commendavit (i).

Præclaro Alfonso merita Carolo Imperatori, & Philippo Hispaniarum Regibus literarum hominum studio-  
sissimi eundem magnopere acceptum reddiderunt. Quo factum est, ut de gravissimis Reipublicæ & Religionis  
negotiiis sæpe consulereur, & à Philippo inter alios *divinarum rerum Consiliarius, & Ecclesiasticæ cooptatus sit* (k).  
Porro Alfonso fuisse Regum Philippi II. Concionatorem cum epitaphii auctor, tum etiam ipse de se testatur (l).  
Idem quoque ex aliis eruitur monumentis, Carolo Imperatori Alfonso nedom à Concionibus, sed & à *Confessionibus  
fuisse*: Andreas Scotus (m) Aubertus Mitæus (n) & domesticus auctor Vvadingus (o) tradidere, nescio quo  
fundamento nixi.

Neque vero eximius tantum Evangelii præco noster Alfonso, sed *celeberrimus illorum temporum Theologus, phi-  
losophicus, ac theologicis disciplinis eruditissimus* à Nicolao Anonio (p) & aliis (q) merito audit. Salmanticæ annos  
XXX. Theologiam magna cum laude professus est (r). Cum autem anno MDLVIII. vita excefferit, opoierit illum ab  
anno, ut minimam, MDXXVIII. id munus obisse. Et quidem *Lectoris eruditissimi* titulo eum cohonestat Joannes  
Calvus Minister Generalis anno MDXLVI. (s) Franciscanos ergo juvenes in Conventu Salmantino Theologiam do-  
cuit (t), ea in professione commilitones habens summos illos viros Alexium de Salamanca (u), Andream de Vega,  
Franciscum Castillo (x), Franciscum Meneium (y), Ludovicam Carvajalum (z).

Præstantes Alfonso à Castro discipuli uberem, selectamque magistris eruditionem produunt. Eos inter eminent Mi-  
chael de Medina (aa), Franciscus Orantius (bb), Antonius Ruvius (cc), Gaspar Tamajus (dd). Theologiam vero  
professus est sinceram, Ecclesiasticam, omnibus subsidiis instructam, ad proprios revocatas fontes, sopherice, barbarie,  
vanis, superfluisque quæstionibus repurgatam. Scholasticam Dogmaticæ, Polemicæ, Exegeticæ perpetuo sedere so-  
ciavit. Scriptum, traditumque Dei verbum, Ecclesiæ oracula, Canones, Disciplinam, Patrum opera semper adhi-  
bit. Linguarum cognitionem, Philologiam, Historiam cum sacrarum, tum prophanarum in Theologiæ subsidium advoca-  
vit: jura Sacerdotii, & Imperii, Ecclesiæ, Principum, & legum potestatem aperto in lumine collocavit. Quid mul-  
ta?

(a) Epist. nuncup. Cardin. Joann. Tav. Oper. *adv. Heres.* prim. edit. (b) Ap. Vvading. *Script. Ordin. Min.* Joann. à S. Anton. *Biblioth. Franc.* tom. 1. contin. *Annal. Vvading.* tom. XIX. ad ann. MDLVIII. (c) *De Potest. leg. pæn.* lib. 1. c. 8. (d) *Adv. Her.* lib. 1. c. 9. (e) Epist. ad Petr. de Castro Episc. Salmant. in commendat. oper. *De Potest. leg. pæn.* (f) Andr. Resend. *Epist. ad Bartol. Queo.* inter *Script. Hispan. illustr.* tom. II. (g) *Biblioth. auct. Ecclesiast.* tom. 16. pag. 20. volum. IX. edit. in 4. *Continuat. Hist. Ecclesiast. Fleur.* tom. 31. pag. 282. in 4. Sixt. Senens. *Biblioth. Sancti.* lib. 4. Petr. Annat. *Apparat. ad positiv. Theolog.* tom. 2. lib. 7. art. 10. (h) *Biblioth. Hisp. Nov.* tom. 1. v. *Alf. de Castro.* (i) *De Just. Heret. punit.* lib. 1. c. 20. *De Potest. leg. pæn.* lib. 1. c. 4. (k) Epitaph. cit. (l) Epist. nuncup. *adv. Her.* ad Philipp. II. ann. 1556. (m) *Biblioth. Hisp.* tom. 2. clas. 3. pag. 249. (n) *De Script. Ecclesiast. secul.* 16. pag. 52. edit. Antwerp. 1649. (o) *Script. Ordin. Min. v. Alfonso de Castro.* (p) *Biblioth. Hisp. Nov. v. Andr. de la Vega.* (q) *Ann. Ordin.* tom. 18. ad ann. 1546. & tom. 19. ad ann. 1558. (r) Epitaph. cit. (s) Litter. ad Andr. de Vega in fronte Oper. *De Just. Heret. punit.* (t) *Contin. Annal. Vvading.* tom. 18. ad ann. 1546. (u) Epist. Alf. de Castro. ad eundem. Alexand. præfix. huius operis MS. *de Assertionem Monachismi.* (x) Joann. de Veg. in censur. oper. *Assert. Cathol. adv. Eras.* auctore Ant. Ruvio Region. (y) Epist. Franc. Menes. præfix. oper. *adv. Her.* Lugd. edit. 1541. (z) *Cast. de Potest. leg. pæn.* lib. 1. c. 8. (aa) *De Rect. in Deum fide.* lib. 1. post init. (bb) *Loci Cathol. adv. Calvin.* lib. 7. c. 8. (cc) *Præf. oper. assert. Cathol. adv. Eras.* (dd) Epitaph. sæpe cit.



de Miranda, quamvis ejusdem nomen in quibusdam Concilii editionibus desit. Testatur etiam ipse in perbreui MS. (a) (quo Philippo Britanniam proficiscenti consulit quid facto opus sit, ut in eo Regno feliciter Religionis negotia expediantur) se non semel Tridenti fuisse. Quo etiam respexit Matamoros de Salmanticensi Academia scribens, anno MDLIII. *Hæc*, inquit (b), *Lycurgos & Solones alii, & præter paucos Monachos eximie Doctos*, quos nuper Cæsar Tridentum ad Concilium vocavit, *unum habet Fredenandum Pintianum &c.* Confule sis etiam Cardinalem Pallavicinum (c).

Philippus Princeps à Britannia discedens in Belgium secum adduxit Alfonso à Castro, & acceptis ibidem à Carolo patre Hispani Regni habentis, eximii hujus Concionatoris, Consiliariique operam adhibuit, ut innuit ipse epistola nuncupatoria sæpe commemorata: ex qua itidem constat, eum tunc temporis Antuerpiæ commoratum esse (d). Haud passus est Philippus virum de se, de Republica, deque Religione, & litteris optime meritum, inglorium, & monastico indurum habitu, decedere. Alfonso ergo in Belgio adhuc degens amplissimæ Compofellanæ Ecclesiæ Archiepiscopus à Rege Philippo designatus est, successor Joannis de Toledo S. R. E. Cardinalis. Obiit quidem Toletus Romæ XII. Septembris MDLVII. (e). Summo autem Ecclesiæ Compofellanæ, totius Hispaniæ, & Litterariæ Republicæ detrimento, vita sanctus est Alfonso, priusquam Archiepiscopus consecraretur. Obiit Bruxellis in Bravantia tertium supra sexagesimum ætatis annum agens, vir longiori vita, & immortalitatis dignus, anno MDLVIII. tert. non. Februarii. Is enim æmortalis dies, annulque legitur in Alfonso Epitaphio, non XI. ejusdem mensis, ut Nicolaus Antonius, neque XIII. ut Morerius, Fleuri Continuator, & Lavocat scripsere, Carolus Coudenhove (f) Provinciæ Recollectorum Germaniæ inferioris Chronologus, Castrum inter illustres ejusdem Provinciæ viros recenset his verbis: *Porro Alfonso nostræ Provinciæ adscribimus, quia in ea vixit, vita decessit, & in Conventu nostro Bruzelleris choro sepultus est.* Supervacaneum duxi longissimum catalogum texere illustrium virorum, qui Alfonso nostro ejusque scriptis egregia dedere testimonia, cum nemo unus sit qui eum sine laude prætereat. Adeat qui volet præter relatos A.A. Sixtum Senensem (g), Pofevinum (h), Franciscum Gonzaga (i), Fleuri Continuatorem (k), Michaelèm à S. Josepho Episcopum Accianum (l), aliosque innumeros. Anecdoræ cujusdam ad Castrum spectantis meminere Hieronymus Baptista Lanuza (m), & Paulus Segneri (n). Epitaphium autem sæpissime memoratum Synchroni Scriptoris monumentum hic subdere non gravabor:

R. P. Alfonso à Castro Zamorensi,  
viro prophanis, omnibusque sacris doctrinis ornatissimo,  
qui cum Salmanticæ ann. XXX. Theologiam  
magna cum laude professus fuisset,  
atque inter alia præclara divinum illud nec umquam  
intermoriturum Opus adversus omnes Hæreses post  
Christum Salvatorem natas edidisset;  
Tridentum deinde ascitus celebre sibi nomen comparasset, atque in  
Sancti Evangelii per annos XLIII. prædicatione, ingenii, pietatis,  
eruditionis gloriam apud Hispanos adeptus fuisset,  
à Philippo II. Hispaniarum Rege inter alios divinarum rerum  
Consiliarius, & Ecclesiastes cooptatus est:  
Cui in Anglia, dum Religionem in eo Regno restituit,  
insignem operam navavit.  
Demum in Belgium ipsum sequutus à Deo optimo evocatus Bruxellæ  
tertio non. Februar. MDLVIII. ætatis LXIII. sub Instituto  
autem Sancti Francisci XLVIII.

Gaspar Tamayo Salmanticensis Præceptoris charissimo, ac contubernali dulcissimo  
mestissimus posuit.

(a) Asservatur Biblioth. Conv. S. Franc. Salmant. (b) *De asserend. Hisp. erud.* p. 46. (c) *Hist. Concil. Trid.* lib. 12. c. 10. (d) Nuncup. lib. *adv. Hær.* ad Philipp. II. Antwerp. 20. Maji 1556. (e) Nicol. Ant. *Biblioth. Hisp. Nov.* tom. 1. v. *Alf. de Castro.* (f) *Compil. Chronol.* quæ MS. servat. in Archiv. gener. Ordin. in Conv. S. Franc. Matrit. teste Joann. à S. Anton. *Biblioth. Francisc.* tom. 1. v. *Alf. de Castro.* (g) *Biblioth. Sanct.* lib. 4. (h) *Appar. sacr.* v. *Alfonso*, pag. 4. edit. Colon. 1608. (i) *De orig. & progr. Relig. Seraph.* p. III. *Provinc. S. Jacob.* Conv. 3. p. 741. (k) Tom. 31. pag. 282. in 4. (l) *Bibliograph. Crit. Sacr. Prof.* tom. 1. (m) Tom. 2. in quadrag. hom. 23. (n) *Christ. Instr.* Part. 1. discurs. 29.

SERENISSIMO ET CATHOLICISSIMO  
PHILIPPO HISPANIÆ, ANGLIÆ, ET HYBERNIÆ REGI,  
ECCLESIAE DEFENSORI,

Frater Alphonfus à Castro, Ordinis Minorum, omnem optat felicitatem.

Tanta est, Serenissime & Catholicissime Rex, hæreticorum improba nocendi cupiditas, tantaque rabies ad perdendas animas pro quibus Christus mori dignatus est, ut ipse idem Christus summa Dei sapientia, illos luporum nomine appellare voluerit, ut hoc nomine oves suas cogeret ab illorum consortio diligentissime cavere. *Attendite*, inquit ille, (*Matth. 7.*) *à falsis Prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Admonuit quidem his verbis ovæ suas Salvator noster, ut sibi ipsis caverent ab hæreticis, qui sub nomine Christiano, tamquam sub ovina quadam pelle latitant, in oves dominicas suriant, & illas prorsus perdere tam obliuato animo nituntur, ut nihil intentatum relinquunt, quousque illas, si possint, suæ doctrinæ veneno interimant. Sacrarum scripturarum catalogum detruunt, & mancum faciunt, detrahentes ex eo quicquid pestiferæ illorum doctrinæ contradicit, ne habeant Catholici testimonia, quibus illos convincere possint. Ipsas scripturas, quas negare non audent esse sacras, in alienum sensum detorquent. Sanctos scripturæ divinæ interpretes, quos Catholica Ecclesia tamquam quosdam Dei Prophetas semper venerata est, contemunt: & illis non solum pares se facere, sed impudentissima temeritate præferre audent, ut hac ratione simplici & parum cauto populo persuadeant, doctrinam suam non tamquam humanam, sed tamquam divinam esse suscipiendam. Mille mendacia confingunt, ut populum ad se trahant, & sibi propitium reddant, Regum & Principum favorem anxia sollicitudine quærunt, ut eorum auxilio & potentia populum contradicentem coercere valeant. Ut autem hunc favorem venari facilius possint, eisdem Regibus & Principibus blandiuntur, & applaudunt, dicentes illis licere quicquid libuerit. Nullum denique non movent lapidem, ut sua venenosa doctrina oves Dominicas inficere, & sic illas perdere valeant. Tameñ hæretici tam versuti & solliciti sint, & tam feroces ad perdendas animas, ut tamquam lupi ovibus sic illi animabus semper insidiantur. Deus tamen qui illarum esse optimus pastor, & illas intimo quodam affectu diligit, noluit prorsus hos lupos delere, ut hac ratione homines Christianos ad majorem cautelam & vigiliam cogeret, & sic illis majoris meriti occasionem præberet. Nam qui hostes se habere agnoscunt, cautius eos vivere oportet, quam quibus nemo invidet. Et civitates, quæ sunt hostibus finitimæ, magis munitas & majori diligentia custoditas esse convenit, ne forte hostium præda fiant. Destructis olim Carthaginensibus, Græcisque subiectis, cum quidam in Senatu dixisset, res Romanas jam esse in tuto, Scipio Nasica, Plutarcho auctore, respondit: immo vero nunc in magno periculo sumus, quia non habemus quem timeamus; ne igitur Christiani hostibus fidei carentes, otio torperent, & in eadem fide tepescerent, pietissimus Deus permisit, ut in Ecclesia sua post prædicatum Evangelium & fidem susceptam, vix umquam desisset hæreticus, qui illam vexaret. Nam à Christi Salvatoris nostri in cælos ascensionem ad hunc usque diem, nullam fuit sæculum, in quo non fuerint novæ ortæ hæreses, aut veteres renovatæ. Hoc enim nostro sæculo, ut alia priora nunc omitram, cum respirationem aliquam ab hæreticorum infestationibus Ecclesiæ datam esse arbitrabantur, omnes, ne hæretici qui in aliis multo scelerioribus sæculis fuerant, huic nostro sæculo tot vitis referro desissent, ecce repente Lutherus prodit omnem fere post se trahens damnatarum hæresum catervam. Nam cum alii hæretici singula sibi genera quæstionum intricata & cavillosa proposuerint, de quibus contra Ecclesiæ Catholicæ fidem sentirent, atque docerent, iste universa fere hæreticorum dogmata jam denuo ab Ecclesia rejecta revocavit, ita ut variis hinc inde ascitis hæresibus, factus sit ipse tamquam alveus quidam late patens, per quem omnium hæresum colluvies flueret, ac laberetur. Vix enim est una & altera hæreticorum familia, præsertim ex iis quæ circa mores errantur, cum qua non habeat aliquid commune Lutherus. Sollicitat enim ille antiquus humani generis hostis, in nunquam ævi senio hæreses moriantur, nullaque sit tam noxia doctrina, quæ aut temporibus obruatur, aut oblivione sepeliatur. Nec prodiit Lutherus solus, tanta est hujus sæculi infelicitas, sed multorum hæreticorum agmine, ceu quodam satellitio stipatus processit, qui illum expectasse videntur, ut sub illius vexillo postea militarent. Illi enim nomina dederunt Philippus Melancton, Fabritius Capito, Lambertus Conradus, Pellicanus, Andreas Osiander, Martinus Butzerus, multique alii progressu temporis catervatim se illius familiæ inseruerunt. Prodiert etiam alii, qui etsi in multis hæresibus Lutheri subscriperunt, sub illius tamen vexillo militare dedignati sunt, & ideo alias finxerunt hæreses, de quibus inter eorum quemque, & Lutherum minime conveniret, ut vel hoc nomine eorum quilibet propriam constitueret aciem, cujus ipse dux haberetur. Fuit enim semper, atque est omnibus ferme hæreticis insita quædam popularis gloriæ cupiditas, quæ improbe eos sollicitat novam aliquam configere doctrinam, ut rei novitate alios in sui admirationem trahant. Oecolampadius à Luthero dividitur, Zuingleus ab utroque separatur, Joannes Calvinus his omnibus in multis contradicit. Anabaptistæ denique omnium pestilentissimi, omnibus adversantur. Tot certe ac tanta hoc nostro sæculo nata sunt hæreticorum monstra, ut novo quodam Hercule monstrorum domitore esset nunc opus, qui illa omnia ex orbe Christiano profigaret. Quorum omnium hæreticorum sibilis serpentinis, quam totius Ecclesiæ divinis vocibus magna Germaniæ pars obedire mallens, in varias hæreticorum factiones divisa est. Et utinam pestis hæc intra solos Germaniæ fines se contineret, & non in reliquis Christiani orbis partibus tam sæve atque potenter grassaretur, ut jam rara sit Christiani nominis Provincia, in qua desint, qui publice, aut latenter Lutheri, aut aliorum ejusdem farinae errores amplectentur. Ut ergo huic tam late grassanti morbo, vel aliqua ex parte qua possem, mederer, ante viginti duos jam elapsos annos, anno videlicet tricesimo quarto supra millesimum quingentesimum, opus quoddam edidi quatuordecim partium libris, in quo omnium hæresum, quæ post Christi in cælos ascensionem in Ecclesia fuerunt ortæ, certissimum primo reddere



rationem curavi: deinde contra illas omnes sigillatim pugnavi, ut vel hac via apertissime demonstrarem, omnes istos recentes hæreticos à fecibus jam olim ab Ecclesia rejectis suas hæreses hausisse: & si quique tanto facilius venenosa illorum dogmata fugerit, quanto apertius cognosceret, illa fuisse velut talia ab Ecclesia damnata. Quod opus, Deo favente, causamque (ut Christiane loquar) suam agente, adeo Catholicorum omnium oculis placuit, ut infra hos viginti duos annos elapsos, fuerit jam pluraquum decies in Gallia, Germania, & Italia typis excusum. Quæ res vehementer animum meum stimulavit ad opus hoc iterum diligentissime revincendum, ut si quid forte deesse conspicerem, addere curarem. Recognoveram quidem opus hoc jam semel & iterum, & quidquid tunc deesse comperi, supplevi: & quæ minus bene disposita esse censui, emendavi. Nunc denique, ut postremam huic operi imponerem manum, tertio illud diligentissime revisi, & meo periculo didici posteriores curas semper esse meliores. Nam aliquot hæreses deesse intellexi, quarum aliquas prudens omiseram, propterea quod tunc non plene mihi constabat illas esse hæreses, & nolui in re tam seria temere quiddam definire. Alias autem hæreses aliud agens inveni, cum plurimos evolverem Auctores, quos intentis semper in hanc rem oculis lego. Aliæ denique hæreses post priores hujus operis editiones in publicum prodierunt. Deinde circa priores illas hæreses quas in aliis hujus operis editionibus descripseram, multa quæ ad ipsarum hæresum pleniorum cognitionem, aut faciliorem expugnationem mihi visa sunt necessaria, addidi: alia prorsus delevi, ut plura & meliora pro illis ibidem collocarem. Tor itaque ac tanta post omnes priores hujus editionis nunc addita, atque permurata in illa sunt, ut novum opus jam merito censeretur, quod novum etiam pariter desideret patronum. Quem etiam si summo studio cogitabundus investigassem, nullus alius præter te, Serenissime & Christianissime Rex, mihi occurrere potuisset, cujus tutelæ ego justius commendare debuissim. Nam cum opus hoc de fide Catholica differat, & contra omnes hæreses pugnet, neminem ferventiori affectu majorique conatu favorem & auxilium illi daturum credere oportebat, quam tu, qui hæreditario quodam jure à parentibus tuis Hispaniæ Regibus, longa successione derivato, perpetuum & irreconciliabile cum hostibus fidei Catholicæ bellum geris. Nullus majori obligatione devinctus est ad fidem Catholicam protegendam, quam tu, qui titulo Regis Angliæ Ecclesiæ defensor diceris. Non posses autem vere dici Ecclesiæ defensor, nisi fidem Catholicam, super quam Deus ipsam Ecclesiam fundavit, totis defenderes viribus. Quam integre & ex animo hujus tituli obligationi satisfeceris, præclarissima illa facinora quæ in eodem Angliæ Regno per te pridem gesta sunt, tam aperte testantur, ut nemo, etiam si Zoilo invidentior sit, inficiari audeat. Nam postquam Serenissimum Angliæ Reginam Mariam duxisti uxorem, & ob eam causam Regni illius gubernacula suscepisti, è vestigio, ne inane sine re nomen ampullosa & jactabunda vanitate gestare videreris, anxia sollicitudine curasti, ut Regnum illud quod pluraquam viginti annos à fide Catholica defecerat, ad eandem reduceretur. Deus autem piensissimus, qui renes & cor tuum scrutatus est, & te virum desideriorum, velut alterum Danielem esse intellexit, non passus est te fraudari à desiderio tuo, aut longo tempore esse suspensum, sed brevissimo tempore elapso, te tui voti comitem fecit. Nam tanta sedulitate & prudentia huc negotio incubuisti, ut post elapsam à nuptiis celebratis solum quadrimestre temporis spatium, Deo Anglorum corda emolliente, totius Regni primores in publicis comitiis apud Londinum congregatis, suo & totius Regni nomine obedientiam quam Romano Pontifici detraixerant, illi ultro præstiterint, & fidem Catholicam quam antea rejecerant, se deinceps recepturos, & in ea constantes futuros promiserint. Cui promissioni tam plene hæcenus fere omnes illi respondent, ut nos omnes qui rem ipsam propriis conspeximus oculis, merito speremus, totum illud Regnum ad illam Christianæ Religionis puritatem & sinceritatem, quam ante defectionem retinebat, brevi fore reducendum. Opus igitur hoc quod contra omnes hæreses edideram, & nunc in Regno Angliæ tibi in publicis concionibus, & fidei negotiis serviens, utoque amplissimo congiario nutrius, locupletavi, tibi Regi Catholicissimo, fideique Catholicæ vindicti, atque protectori, cui multis nominibus debebatur, dicere curavi, ut quoniam se tueri non valet, tui saltem nominis umbra protegatur. Majestatem & castitudinem tuam supplex oro, ut pro tua Regia benignitate illud suscipere & fovere digneris, tamquam militem quemdam sub tuo vexillo pugnare cupientem. Vale Rex Christianissime, & Christianæ Religionis decus & ornamentum. Datis Antuerpiæ vigesima die Maji, anno Domini M. D. L. V. L.

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO  
S. R. E. CARDINALI CAROLO A RAMBOULLETO,  
APUD PII QUINTI PONTIFICIS MAXIMI SANCTITATEM,  
Legato Regio, Robertus Trehetus, utriusque juris Doctor.

S. P. D.

Sponsa Jesu Christi Ecclesia, Cardinalis Illustrissime, in hoc mundo Rosæ inter spinas enatæ haud inepte comparatur. Nam ut spinæ circumquaque Rosam cingentes, eam premunt, & pungunt, unde tamen illa fragrantior reditur: ita Ecclesia undique duris pressa latius odorem spirat, ac suam fragrantiam veluti exhalando, emittit efficacius, atque novis subinde accessionibus augetur magis: Id quod Ecclesiæ historia legentibus ob oculos ponit, & omnium Sanctorum testatur experientia. Spinæ autem quæ hanc Rosam cingentes premunt, & pungunt, sub tribuli ac zizania hæreticon, flagitiorum, & variorum scandalorum in doctrina & moribus: ut interim taceam Nothos, Sylvestres, & aridos furculos, qui non leve damnum veræ ac naturali Rosæ inferunt. Has spinas Sathan Jesu Christi hostis *aspondos* spargit & feminat, ut Rosam quam Christus sua manu plantavit, premat, suffocet, planeque in nihilum redigat: aut (si id non potest) ut hoc saltem efficiat, ne late suos spargat flores, ac furculos emittat, hoc studium omnibus temporibus Sathane fuisse manifestum est. Quid non tentavit, jacto primo hujus Rosæ semine in paradiso terrestri? Quid non machinatus est, ut semen hujus Rosulæ, hoc est, primam promissionem protoplastis nostris factam, suffocaret? An non fratrem adversus fratrem armavit? An non impulit degenerem furculum Cain, ut Abelem fratrem occideret? Idque non aliam ob causam, ut D. Joannes testatur, quam quod opera Abel fuerint bona, & ejus sacrificia Deo grata: Et contra Cain opera fuerunt mala, & holocausta ejus ingrata. Numquid hoc parricidio suffocata est Rosa Domini? Nullo modo: sed tamquam ex femine prætorissimo plures enati sunt furculi. Seth enim frater Abel furculi perpetuo in æterna vita viventis, & multi ab eo nati, tamquam plantulæ novæ, suppullularunt, quas est Sathan subinde spinis punxit, hoc est, usque ad diluvium (in quo collectis prius veris ac germanis furculis in arcam Noe justis spinas suffocatas Dominus perdidit) conservata est Rosa. An hic fatigatus Sathan quiescit? Nequaquam. Nam mox post diluvium novas spinas feminat: Cham enim filium Noe ad se pertrahit, ut transfuga factus, Sem fratrem persequatur, qui tamen persequutione nequam fractas constanter retinuit primam promissionem, atque semen hujus Rosæ usque ad tempora Abraham, quam latissime sparsit. Esti autem interea Sathan suis venenatis spinis & tribulis impiorum hæreticorum orbis partem opplevrat, nihilominus tamen Rosa hæc suas vires retinuit, ac multos sua fragrantia exhilaravit. Nam Christus hortulanus Abraham de Hur Caldæorum evocatum pulcherrimum hujus Rosæ furculum in terra Chanaan plantavit: Tametsi nec illic Rosa spinis Sathane immunis erat. Nam ibi nunc fame, nunc peregrinatione, nunc aliis modis tentatus Abraham, infraacto autem animo expectavit consolationem: Unde factum quoque est, quod Rosa hæc prætoriosa majora in dies incrementa cæperit. Ismael quidem furculus aridus Isaac fratrem qui fuit in hac Rosa tenerimus furculus, persequutus est, sed frustra: nam eo magis crevit, & gloriosior est facta Rosa. Postquam enim vidit Isaac enatam de se novam plantulam, nempe Jacob, qui tametsi Nothi, & aridi furculi, hoc est, Esau & Laban, ut alios taceam, eum graviter presserunt, in radice mansit fecundus furculus. Ab hoc enim duodecim alii prodire furculi. Esti autem omnes isti furculi non manserunt in radice: Nam quidam exaruerunt, & in Nothos & adulterinos degeneraverunt, in magnum tamen numerum in dies propagati sunt: inter quos unus tenerissimus, nempe Joseph in Ægyptum florentissimum Regnum est translatus, ut ibi fructificaret, ac sua suavolentia totum Ægypti Regnum oppleret: id quod non sine magnis ærumnis, & gravibus afflictionibus præstitit. Quid enim non mali Sanctus hic furculus in Ægypto pertulit, priusquam in tantam Rosam excrevit? Nam primum arctica foetida, & ardens illam urere tentat, hoc est, turpissima femina eum ad adulterium sollicitat: ut ista ratione arefcat, & de nativa excindatur Rosa: Sed frustra hoc conatur Sathan, Joseph manu hortulani conservatur illeæus. Verum eum hac via se frustra adortum esse Sanctam virum cernit Sathan, alia eum aggreditur, ac spina impiæ tyrannidis Pharaonis ipsum omnino suffocare statuit. Conjicitur itaque opera Sathane castissimus hic furculus Joseph in carcerem, ac sibi inter spinas infidelium barbarorum, & in sceleribus pessimis, præter omnem suam culpam jacet & premitur. Sed quid hic Joseph castissimo Rosæ furculo contingit? Idem plane quod magni Auctores de naturali rosa scribunt. Ut enim naturalis rosa juxta cape vel allium sata fragrantior redditur: Nam sceler cape vel allii ad suavolentiam rosæ conferre dicitur: ita Joseph inusta impudicæ femine querela obreftationibus, injuriis, scelere carceris, crevit, longeqe illustrior ac potentior evasit. Nam è carcere eductus Joseph, secundus à Pharaone, in Regno Ægypti post interpretationem Regis factus est, ejus industria postea per totam Ægyptum infiniti furculi sunt plantati & dispersi, adeo quod ipsa Ægyptus facta sit veluti quædam paradysus Domini. Nam hic fragrantissimus furculus Joseph ad se radicem, nempe Jacob patrem suum, cum tota sua familia attraxit, qui ad aliquot annos in Ægypto novos subinde furculos emiserunt, & in Regno Ægypti suavissime spirant. At quid interim Sathan? Num sterit? Nihil minus. Nam postquam Jacob, Joseph, atque alii plurimi furculi in caelestem regionem translati sunt, spinam quamdam prægrandem plantat Sathan in Ægypto: quæ spina non parum presit, ac punxit furculos, qui in Ægypto remanserunt, quæ tamen quotidie sub oneribus & æstu creverunt magis, & in mediis sceleribus & laboribus multiplicati sunt. Spina autem illa prægrandis fuit alius Pharaos, qui non novit Joseph. Hic enim cum suis ariolis & pseudoprophetis, præstigijs dæmonum adversus Israëlitas ventibus, furculos Domini supra modum premit, & pungere cæpit. Quare hortulanus iratus ingratissimos Ægypti incolis, suos furculos in alium transplantavit: hortum, ac populum Israëliticum transfudit per mare